

**1999-01-02 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Mbararaensis’**

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***MBARARAËNSIS\****

**NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA MBARARAËNSIS  
APPELLATA INTRA FINES UGANDAE CONDITUR**

Diligentem sane curam continenter adhibemus ut Domini verbum quam amplissimam multitudinem attingat caram terram Africanam incolentem. Quam ob rem nunc aptare properamus ecclesiastica instituta ad eiusmodi propositum commodius assequendum. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur decernimus et statuimus. A metropolitana Ecclesia Kampalaënsi *Mbararaënsem* sedem separamus quam ad dignitatem archiepiscopalis metropolitanae Ecclesiae evehimus, privilegiis porro additis et obligationibus iniunctis quae sacri canones praecipiunt. Novam Provinciam ecclesiasticam constituunt, veluti suffraganeae sedes, dioeceses Arcis Portal, Hoimana, Kabalena et Kasesensis, hucusque Ecclesiae metropolitanae Kampalaënsi subiectae. Venerabilem Fratrem Paulum K. Bakyenga, Episcopum hactenus Mbararaënsem, ad gradum Archiepiscopi Metropolitae Mbararaënsis promovemus secundum sacrorum canonum praescripta. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Aloisium Robles Diaz, Archiepiscopum titulo Stephaniacensem atque in Uganda Apostolicum Nuntium, legamus. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die altero mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nonagesimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo primo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*

JOSEPHUS card. TOMKO  
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Praef. Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*  
Carmelus Nicolosi, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 4, pp. 334-335